

I 2 W

L 6 0 5

✓ 00/5

ark. M. 396.

Gesner, Sal. Belg. disputationes

—(40) Hoe, m.

K. IV. 31.

Rupertus Niesnig acceptil  
Jacobo Tappio.

confit. 1. 13. 7.



DISPUTATIO VII  
QVA EXAMI  
NANTVR IVXTA CLA  
RIS: THEOLOGVM D. D. CHEM  
NITIVM, TRIA GENERA  
traditionum,

- I. Quæ bona consequentia è scriptura colliguntur.  
II. Catholicus patrum consensus.  
III. Ritus & consuetudines veteris.

Quam in collegio Theologico private  
sub præsidio

SALOMONIS VGESNERI  
S. S. Theologiae Doctoris & Professoris Pub  
lici, die 26. Martij Anno 1062. horâ  
locq; consueto proponit.

JOHANNES BAPTISTA  
Grademüller Onoldinus Er.

WITEBERGÆ,

Typis VVolfgangi Meisneri, Anno 1062.



Viro Magnifico  
**D. NICOLAO STAT-**  
**MANNO I. V. D. ILLVSTRIS-**  
**SIMI PRINCIPIS BRANDEBUR-**  
**GICI CANCELLARIO Præfidi Senatus**  
**Ecclesiastici Onoldini di-**  
**gnissimo.**

*Ceterisq; Reverendis & clarissimis viris eiusdem pa-  
tribus conscriptis.*

**D. M. FRANCISCO RAPHAELI**  
 Superattendanti.

**D. M. MICHAELI STIBARO.**

**D. M. ABDIÆ VVIKNERO con-**  
 cionatori aulico.

**D. M. VVENCESLAO GVRG-**  
**FELDERO à Secretis,**

*Dominis ac promotoribus suis perpetua observan-  
tia colendis offert hasce theses*

Ioh. Bap. Gradelmüller.



## THEISIS I.



Vperiori yuuvacōia cæptum est confusum illud Chaos traditionum, luce veritatis aliquo usq; collustrari, ubi rudit illa indigestaq; moles non bene junctarum rerum paulatim evoluta, vera à falsis segregata & in suas classes disposita, ut simul constaret quas qualesq; traditiones nos ut veras agnoscamus: tum at Romanensibus Orci galea sub qua latent detraheretur, & vanitas suarum traditionum ostenderetur.

## II.

Nos hac vice ex cæco illo acervo adhuc alia tria genera verarum traditionum eximamus. I. quæ bonâ consequentiâ è scriptura colligi & educi possunt. II. ubi habetur catholicus patrum consensus. III. ritus & consuetudines veteras: quibus subductis rectius constabit, quales traditiones autument pontificij, quas paricūm scriptura pietatis affectu nos venerari volunt.

## III.

Semper autem in conspectu sit status in hac controversia de traditionibus; illas enim idco urgent Romanens. quia contendunt non omnia, quæ ad articulos fidei & ad dogmata pietatis attinent, haberi in scriptura, sed multa ad fidem & pietatem necessaria, suscipienda & credenda esse sine scriptura, extra & præter scripturam, ex solis traditionibus non scriptis, quæ nullo scriptura testimonio probari possunt.

## IV.

Huic sue dœci sepe wua firmissimum subdere sibi videntur, dum non omnia in scriptura, ad Christianam religionē scitu necessaria, expresse & secundum literam extare nobis probant: non aliunde igitur hunc defectum resarciri posse opinantur, nisi ex promtuario suarum traditionum.

## V.

Licet autem ultra illis donemus, non omnia secundum literam, extare in sacris: tamen cum Nazianzeno recte affirmamus, quædam & esse & dici in scripturis, quædam vero esse in scripturis tametsi non dicantur: quæ tamen non sunt alia ac diversa ab illis, quæ dicuntur. Rem igitur dogmatum omnium ium ad perfectionem fidei, tum ad salutem necessariorum in scripturis haberi, ita nimirum, ut vel secundum literam in eis continantur, vel bona, certa & manifesta ratiocinatio & consequentia probari possint, affirmamus, ita ut supposititias illorum traditiones hac in parte mutuari, non necessum habeamus.

## VI.

Quod lis  
ceat è scri-  
ptura con-  
sequētias  
necere.

Bonam consequentiam vocamus syllogismum dialecti-  
cum, ubi ex præmissis notis & firmis, vel veritas & stabilitas  
stabiliri, vel falsitas eiusdem retundi solet. Firmitas  
vero præmissarum non ex patribus, nec ex caca ratione, sed  
ex scriptura accedit, ita ut vel maior vel minor propositio,  
vel certe earumdem probationes sint ἐγγραφαι quibus assumitis  
ad veritatem propositi pervenire queamus.

## VII.

Consequentia hac licet non ab omnibus indagari possit:  
siquidem donum prophetiae vel interpretationis peculiare  
est donum Det. 1. Cor. 12. v. 10. à quovis tamen veritatis  
amante facile intelligi & agnosci potest.

## VIII.

Vii licere huiusmodi ratiocinio præcuntem habemus:  
Christum qui Luc. 20. 37. convincit Sadduceos negantes  
immortalitatem animæ, ubi minorem propositionem petit ex  
Mose & concludit: Quorumcunq; Deus se profitetur Dcūm  
esse, illi vivunt: ratio: quia Deus non est moriutorum sed  
vivorum. Sed Deus profitetur se D E V M Abraham, Isaac  
& Jacob. Exod. 3. 6. E. Abraham & reliqui patres vi-  
vunt.

vant, & per conseq. est immortalitas animæ & mortuorum  
resurrectio.

## IX.

Sic patres Baptismum parvulorum traditionem vo- <sup>Baptismus</sup>  
cant Apostolicam, talem sc. quæ fundamenta sua habeat in  
scriptura, licet ad literam non exte: infantes sunt bapti-  
sandi. Probant enim patres traditionem illam ex valde  
multis scripturarum test moniis: Origenes lib. s. ad Roman.  
dicit: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem etiam par-  
vulis baptismum dari: sciebant n. illi quibus mysteriorum  
commissa sunt divinorum secretæ, quia essent in omnibus  
genuinæ fôrdes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui de-  
berent Ioh. 3. propter quas etiam corpus ipsum corpus pec-  
cati nominatur Rom. 6.6.

## X.

Neg, nobis insultare possunt adversarij, quasi propterea  
dogma aliquod fidei sine scriptura testimoniis, ex sola tradi-  
tione Ecclesiae recipiamus: (sicut Bellarminus Anbaptistis  
patrocinium præstans ait, Pædobaptismum ex sola scriptura  
probari non posse, quod longè est falsissimum:) quicquid  
enim suscipimus creditu necessarium, rationem eius ex scri-  
ptura reddere paratis sumus, id quod etiā patres factitarū  
qui THEATEPISEWE XPI scripturis probarunt: Et licet Romanæ-  
ses aliquibus illorum dictis γλ̄ωσσα. incautis obijcere sole-  
ant, q: plus tribuant traditionibus ἀγρόφοις, rectè tamen  
inspectis locis illis, impostura deprehenditur, quod pa-  
tres nunquam in dogmatibus gravioribus, solis nitantur  
traditionibus, quamvis etiam Ecclesia primitiva testimonia  
in subsidium vocent, semper tamen acquiescunt in veritate  
scripturæ.

## XI.

Similiter per consequentiam bonam ex scriptura deduc-  
tam destruere valemus dogmata scripturis contraria, licet:

A 3

prohibito

prohibitio ad verbum in sacris non extet; assumptis videlicet præmissarum fundamentis ex dictis claris & perspicuis inferimus conclusionem assertioni aduersariorum contrariam.

## XII.

Baptizatos  
ab hæreti-  
cis non re-  
baptizan-  
dos.

Sic licet Augustinus affirmet, esse traditionem Apostolicā quod ab hæreticis baptisati non sint rebaptisandi contra Cyprianum, non tamen nititur consuetudine sola & titulo traditionis non scripta, sed recurrit ad illam stateram Dominicam, ubi non ex humano sensu, sed ex autoritate divina rerum momenta pensantur, & inde tela sua contra antagonistam depromit,

## XIII.

Bellarminus lib. 4. c. 7. operosus est testimonia, quæ D. D. Chemnitius adduxit, quibus Augustinus ex scriptura suam sententiam probat, refellere & labefactare, ut nimirum obtineat, Augustinum stetisse non firmitate & certitudine solius scripture, sed maximum robur posuisse in Cœciliij decisione: sed nec quicquam laborat, imo partim absurditates, partim vanitatem conatus sui manifestè prodit.

## XIV.

Non fert ratio thesum singulas responsiones Bellarmini examinare, unam igitur assumamus. Allegat D. Chemn. Augustinum lib. 1. contra Donatistas c. 7, his verbis: jam ne videar humanis argumentis agere, ex Evangelio profero certa documenta. Quid ad hæc Bellarm. mala fide omissa esse à Chemnit. verba quæ erant in medio: Quoniam questionis huius obscuritas compulit magnos uiros diu fluctuare, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentendum erat, remotis dubitationibus firmaretur.

## XV.

Quilibet saltem legens hæc verba animadvertisit, esse illa per parenthesin inserta, ita ut salva Augustini sententia possint vel omitti vel apponi, nec propterea malæ fidei Chemnit.

Chemnit. accusandus, nihilominus manet illa oppositio, inter argumenta humana & Evangelij firmitatem, ex quo certa se prolaturum documenta pollicetur Augustinus. Et illa ipsa parenthesis Synodorum sententias proferens non asserit, in synodis sine scriptura hanc questionem agitatam fuisse. Constat enim scripturarum testimonis contra Cypriani opinionem pugnatum fuisse. Sicut apparet ex epistola Dionysij apud Eusebium lib. 6. cap. 4.

## XVI.

Quod v. addit, dixisse Augustinum, non potuisse ex scripturis finiri questionem illam, ante Concilium Ecclesiae plenarium, manifestè falsum est, non enim veritas demum in Concilio est inventa, quasi ante non fuerit in scriptura, sed ait Augustinus, dubitantes prius, in vera sententia fuisse per Concilium firmatos. Vnde vero & ex quibus fundamentis Concilium fluctuantes roboravit, & litem istam diremit, num ex plenaria autoritate & infallibili potestate statuendi quidlibet praeter scripturam: tale Concil. absq; scriptura decernens in dogmatibus, spiritum S. non audire, & proinde repudiandum esse palam & iuxta scripturæ arbitrium Gal. 1. Rom. 12. 1. Thess. 5. 1. Ioh. 4. Rom. 16. Ioh. 10: dicimus. Si v. ex scriptura concilium judicavit, ut etiam ex parte concedere videtur Iesuita, sibi ipse contrarius, quod nimirum scriptura explicata firmiter illud probet: quid ergo mentitur, non potuisse ex scriptura finiri questionem?

## XVII.

Quod vero discernit & asserit scripturam ante Concilium non firmiter probasse, explicatam v. à Concilio firmiter & certo probare: certè Antichristianam absurditatem prostituit, & quantum scripturæ & Spiritui S. loquenti per scripturam tribuat, ostendit, concilium supra scripturam collocans, hanc v. dubiam, flexiloquam, incertam, mancam & mutillam affirmans, qua prius infirma, iam firmata, antea  
incerta

incertia, iam certa facta sit, cuius blasphemie mercedem aliquando copiosam reportabunt Iesuitæ.

## XVIII.

*Ad hoc quintum genus traditionum recte referuntur etiam illæ controversiæ contra Arianos de omniōis patris & filij, in quo dogmate, licet scriptura hoc modo loquendi destituta sententia. Inveniatur quoad vocabula, patres tamen propterea non provocarunt ad solas traditiones non scriptas, sed rem ipsam in scripturis comprehendendi firmissime demonstrarunt, unde Athanas. Tom. 2: tametsi haec voces in scriptura non reperiuntur, habent tamen eam sententiam, quam scriptura volunt.*

## XIX.

Dum verò Iesuitæ hæc & similia hereticorum argumenta & commenta nobis obiciunt, quid queso aliud faciūt, quam quod absurdissimarum illarum heresium patrocinium suscipiunt. Quapropter Iesuitis hic pacto perverse & fraudulenter literam poscentibus idem respondemus, quod olim Arrianis, qui nil nisi quod totidem verbis extaret in scriptura recipere valebant, Nazianzenus obtendit: φαίνεται μάταιος esse pallium impietatis: nos uero non solam literam argemus, sed præcipue res ipsas, & sensum, quem scriptura suppeditat per bonam consequentiam, ambabus manibus accetamus, licet totidem syllabis & verbis in codice biblico non sit expressum.

## XX.

Omnino igitur quod scripturæ testimonius probari, vel iisdem firma consequentia refutari potest, veram & genuinam traditionem apostolicam esse affirmamus & suscipimus. Quod si Romanenses similiter ex sacris per consequentiam firmam, propinquam & solidam, nobis probaverint suas traditiones de Missa, purgatorio, indulgeniis, peregrinationibus, monachatu, hierarchia Romana, invocatione sanctorum, promtos & paratos nos spondemus, ad illas ut apostoli-

649

cas recipiendas; consequentias vero ipsorum detortas, longe pe-  
titas, ineptas & partim ridiculas, merito respuumus, ridemus &  
nunquam cum autoribus suis longe valere jubemus.

## SEXTVM GENVS TRADITIONVM.

### XXI.

Transeamus hinc ad sextum genus traditionum, quod est Ca-  
tholicus patrum consensus, quo in loco Pontificij dici non potest,  
quam sese iactant, quam tripudiant, quam de victoria iam iam  
parta clamitent, ut procul dubio mirentur nos in hac contra ipsos  
pugna ad patres provocare audere, quos totos & omnes a suis par-  
tibus stare plane persuasi sunt. hinc perpetuo apud illos patroci-  
nium querunt, & nil nisi patres crepant, largissimi in illorum  
adducendis testimoniis, quorum duplo se plura proferre posse glo-  
riatur Bellarm. pro sua sententia, quam nos.

### XXII.

Vnde etiam doctores nostros insigni iniuria afficere non e-  
rubescent, quasi in uniuersum testimonio antiquitatis nihil tri-  
buant; quam tamen calumniam ipsa experientia & scripta evul-  
gata vanissimam esse luculenter comprobant.

### XXIII.

Non equidom preferre possunt scripta hominum, divinis,  
neg. discipulos præponere doctori Spiritui Sancto, sed tribuunt  
cuilibet suum locum debitum: Spiritui S. tanquam judici supremo, loquenti per scripturas, a quibus pendet omnis nostra fides  
& religio, primas deferunt: dehinc antiquis Ecclesiae doctoribus  
subsellia sua collocant tanquam interpretib. scripture, & fideli-  
bus doctrina ab apostolis accepta custodibus, illorumq. testimo-  
nia scripture consentanea amplectuntur, plurimumq. faciunt.

### XXIV.

Et profecto unanimis orthodoxæ antiquitatis consensus, <sup>Quo loco</sup>  
animum addit piis doctoribus, ut cum videant veritatem sem- <sup>habenda</sup>  
per habuisse suos patronos, confirmetur & ipsi, quo alacrius eius <sup>patrum te-</sup>  
<sup>stimonia.</sup>

B

patroci-

patrocinium suscipiant & adversus pseudodoctores, lupos rapi-  
ces, quin contra inferorum portas defendant; è contra reijciant  
et damnent opiniones novas antiquitatis testimonio in totum  
destitutas, quoniam quicquid novum suspectum meritò haberi  
debet.

## XXV.

Non autem allegantur & inquiruntur patrum testimonia  
quasi ea que ex scripturae perspicuis testimonii ostenduntur, non  
per se certa & satis firma sint, aut non cōfesse satis roboris & autori-  
tatis habeant, nisi accedat insuper patrum consensus: sed propte-  
re illorum testimonia producuntur, ut pateat semper doctrinam  
veram in Ecclesia sonuisse & retentam fuisse, contrariarum opi-  
nionum patronos verbo Dei convictos & validissime repressos.  
doctores v. pios in antiquissima & robustissima fide stabiles &  
inconcusso permanisse.

## XXVI.

Secundo ut collatis patrum sententiis cum canone scripture  
recipiamus & ad usum nostrum transferamus ea que consona  
veritati scripserunt: Si quando v. a tramite eiusdem exorbita-  
runt, lapsus ipsorum animadvertisimus, non v. imitetur, quem-  
admodum Augustinus de lectione patrum ait. c. 3. Neq; quo-  
rumlibet disputationes quamvis Catholicorum collaudato-  
rum hominum velut scripturas Canonicas habere debe-  
mus, ut nob. non liceat salva honorificentia, quæ illis debe-  
tur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atq; re-  
spuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam ve-  
ritas habet, divino adjutorio vel aliis intellecta vel à nobis.  
Talis ego sum in scriptis aliorum, quales ego volo esse intel-  
lectores meorum.

## XXVII.

Magna proinde cautione opus est illi, qui spatio sum Labyrin-  
thum patrum ingredi conatur, ut veritatis vestigia non amit-  
tat, quoniam illorum autoritas minimè Canonica est, neq; ab  
omni errore immunes asseri possunt: Itaq; sequentes ha regule:  
lectores

lectori illorum, maioris circumspetionis gratia tanquam filum  
Ariadnes tradit & prescribi possunt.

## XXVIII.

I. Attendendum est Tempus quo scripserint, quæ heresies Regulæ in  
rum viguer int, vel adhuc latuerint; ibi sàpè securius lectione  
latum ab illis quod alio tempore locum habere minimè potuisset.  
patrum ob  
levandæ.

Verum quæ tum incautius exciderunt patribus non assumantur in errorum patrocinia, præsertim si scripture adversantur.

2. Diligenter considerandum quo fundamento quid dicant, num ex scriptura sua affirmata probent, an propriæ rationis sensa adducant, quod si contingat, ut ratione sua latius abducti præcuntem scripturam non attendant, dextra interpretatione ex scriptura animus illorum explicandus, quoniam ab illa divelli volunt.

## XXIX.

3. Discernendum inter hereticos & errores patrum. Ut enim Medici minus circumspecti sàpè agro pharmacum aliquod propinant, quod huic morbo tollendo sufficit: ubi v. aliquod aliud σύμπτωμα accessi, noxiū id esset amplius adhibere velle: Ita patres uni errori refutando intenti per imprudentiam haud raro scripserunt, quod alteri heretico si opponeretur, esset id hosti porrigerere gladium.

## XXX.

4. Advertendum etiam quo animo adversus hereticos scribant, concitatone an tranquillo, ubi accidit interdum ut absurditatibus adversariorum irritati, quò fortius illis resistant, in contrarium latus nimium sese inclinent, ita ut à regia via deflectant & proferant sàpè talia, quæ si arripere vellent heretici alij in defensionem suæ opinionis, iniuriam & patribus & veritati facerent s. Distinguendum etiam inter dialecticam & Rhetoricam orationem, & cur quid dicatur an ad excitandum populum, an v. ad tuendam veritatem. Non n. semper Orator accuratam Dialecticorum demonstrationem animadvertis.

## XXXI.

5. Qua de re dicant, nū priuatas suas speculations exponant,

B 2      vel

vel particularis alicuius Ecclesiae ritum describant; an vero dogma universalis Ecclesiae explicitent. Item quibus cum personis agant, num cum firmis uel infirmis, domesticis fidei vel hereticis, principib. vel philosophis. 7. Discernendum inter ea, quae approbarunt, & inter ea, quae tolerarunt ob personarum temporum vel aliarum circumstantiarum injuriam. 8. Magnū etiā discriminem est inter ipsos patres, quorum aliqui circumspecti, admoniti, instructi, qui resensitarunt accuratius; aliqui vero simpliciores, incautiores, & non admoniti de controversiis, qui si quid scripserunt in sacris non fundatum, ignoscendum illis & leniendum, quantum fieri potest, siquidem de erratis suis admoniti si fuissent, dubio procul illa ipsimet recognovissent & correxisserent.

## XXXII.

Quod si commodis interpretationibus nullus amplius locus esse potest, extrellum tandem remedium adhibendum, & immedicable vulnus ense verbi resecādum, ne pars sincera trahatur, & ne impie pīj haberi velle videamur in omnibus & singulis dictis & scriptis erroneis maiorum exosculandis & adorandis. Aequum proinde & pium est, ut si quid boni scripserunt patres, illud recipiamus, sin erroris ex scriptura convincuntur, illud rejiciamus.

## XXXIII.

Quod enim non simpliciter absq; cause dijudicatione patrum sententias amplectimur, ut quidem pontificij volunt à nobis fieri, ut à scriptura etiam recedamus, ad quales quales illorum ex patribus consarcinatas sententiolas, ratio in promtu est, cum saepè unus patrum hanc, alijs diversam sententiam sequatur, imo idem sibi meti ipsi contraria scribat, ut etiam patrum admiratores in ijs sine multis exceptionibus acquiescere nequeant. Homines enim fuerunt qui errare potuerunt, nec p'us quam alij doctores, de quibus adhuc hodie Deus Ecclesiae suæ prospicit, quos spiritus intelligit.

intelligentia donat, ut falsa à veris discernere, & spiritus qui ex Deo non sunt, discernere possint.

## XXXIV.

Absurdissimus proinde est Bellarm. qui l. 4. c. 9. ex communis consensu doctorum Ecclesiae, veras traditiones apostolicas (suas verò pontificias intelligens) inveniri posse putat. Nunquam enim monstrabit omnes, in ullo dogmate Antichristiano consentientes; Itaque semper à particulari, nō à Tō aduvātē argumentatur. Non etiam nos fidem ac religionem nostram in patribus fundatam esse volumus, sed adificati sumus super fundamentum apostolorum & prophetarum Eph: 2. 20. Quodcuq; igitur dogma extra & preter scripturam, ex solis patribus consutum, Ecclesia tamq; necessarium ad fidem & salutem obtrudere conantur adversarij, illud primitus reiçimus & damnamus, scientes quod expuris patribus nihil sequatur. Non enim nobis dominantur patres sed serviunt; unus autem est noster dominus & magister, cui per omnia sine exceptione parendum est. Matth. 23. 8. Ioh. 13. 13.

## VII. GENVS TRADITIONVM.

## XXXV.

Septimum genus traditionum consistit in ceremonijs & ritibus quibusdam vetustis in Ecclesia apostolos subsequentे usitatis. Extra dubium enim ponitur, apostolos Ecclesiis constitutions & ritus quosdams observandos prescriptisse & ordinasse, quandoquidem hoc patet ex epist. Pauli 1. Cor. 11. & 14. 2. Thessal. 2.

## XXXVI.

Fuerunt autem traditiones illae non scriptæ, res, gestus & actiones externæ in conventibus Ecclesiasticis, & in administratione sacramentorum, ordinis & decoris cause institutæ pro circumstantia temporis, loci & personarum liberè observandæ; quales recitant patres benedictionem aquæ baptismatis, illinitio-

B 3

nem

Ritus &  
ceremon  
ia.

nem olei, trinam immersionē, ea quae ante & post verba institutionis in celebratione Eucharistiae recensentur, genuflexionem, conversionem ad ortum inter orandum, oblationem pro defunctis, jejunium & similes.

### XXXVII.

Notandum vero has ceremonias & ritus non esse referendos inter articulos fidei, nec pari cum illis necessitate observandos, ut quidem pontificij urgent: semper enim Ecclesia libera est & fuit ac per Christum liberata a iugo ceremoniarum & traditionum, licet utiliter retineri possint instituta illa apostolorum, si quanam fuerint certo & infallibiliter demonstrari possit.

### XXXVIII.

Laborant quidem vehementer Romanensi, ut traditiones apostolorum certo monstrarent, & in primis patrum adducunt testimonia, (de quibus quid sentiendum seq. disputatione pluribus agetur) verum cum inter illas miscent traditiones, qua scriniū pectoris Babylonica & meretricis redolent, qua questui sunt accommoda & ad decipiendum & perdendum ovile Christi excoigitate, insuper etiam in expressum Dei verbum incurruunt, de invocatione sanctorum, de missa, de absoluta potestate Papæ &c. in quibus dum absurditas ἡ αὐτοφώρω deprehenditur, & ex verbo Dei dijudicari potest, merito illorum probationibus fidem derogamus.

### XXXIX.

Si vero de talibus traditionibus apostolicis, quae verbo divino non adversa sunt, licet eodem nec mandata nec prohibita essent, nobiscum agerent, facile de ipsis concordiam inire & in unum convenire possemus: non enim de ceremoniis liberis sed de dogmatibus & ipsis quidem summis, in qua traditiones ipsorum incurruunt, inter nos & illos controvertitur, quoniam traditiones adulterinas, instituta pontificum, in nomen & meritum Christi contumeliosa, veritati verbog. Dei pernitsiosa & saluti Christianorum

stianorum exitiosa pari pietatis affectu & reverentia suscipi, &  
dogmatibus creditu necessarijs annumerari volunt.

XL.

Interim verò dum Romanens. vota ac testimonia patrum  
& conciliorum corradunt ad probandas suas traditiones men-  
daces, quibus frustra Deum colunt, nos ex verbo Dei examen o-  
mnium illarum instituemus: quæ lucerna lucens in sacella &  
claustra papicolarum, omnium traditionum & ceremoniarum ibi  
scatentium vanitatem, futilitatem, impietatem & abominatione-  
nē prodit & conspiciendam exhibit: & contra monstrat quos cul-  
tus & ritus salva conscientia & divina permissione retinere &  
asurpare possimus.

XL I.

Sit itaq; i. examinis regula: Quicunq; ritus conveniunt cū  
scriptura & ex ea probari possunt, doctrinamq; Evangelij illu-  
strant, merito recipiuntur & tenentur, quales sunt pia & religio-  
sa Eucharistia celebratio i. Cor. 11, excommunicatio impeniten-  
tium i. Cor. 5. Act. 14, In baptismo renunciatio Sathanæ, abro-  
gatio sabbathi, de baptisandis infantibus, de non rebaptisandis  
ab hereticis baptisatis, de quibus plura in s. ganere.

XL II.

II. reg. quicunq; ritus sunt εὐχημορφοί, καὶ τοῖν, καὶ πρό-  
κοδουν approbandi & tenendi i. Cor. 14, tates sunt, non Persi-  
ca pompa, & apparatus regij, sed ornamenta quæ decent nostram  
religionem, quibus alij ad simplicitatem antiquam amandam  
invitantur, ut certæ feriae, cantiones, musica figuralis, organa,  
deductiones funerum, confessio privata, vestitus Ecclesiastici.  
&c.

XL III.

III. reg. traditiones & ritus metiendi sunt ex libertate Chri-  
stiana: Ea v. in potestate habet extra casū scandali, pro personarū,  
seporū & locorū qualitate adiaphora hac vel retinere vel abolere,  
vel

vel corrigere & mutare, prout illa aut emolumento aut derri-  
mento futura cœtui Christiano videntur. Ut in exemplis Aposto-  
lorum appareat Act. 15. 29. 1. Cor. 11.

## XLIV.

Ex his vicissim ab altera parte promtum est colligere, que  
traditiones ceremoniarum abolenda & damnanda, quando ni-  
mirum 1. incurrit in expressum verbi interdictum. 2. quando  
mutantur in cultus sub opinione meriti & necessitatis & 3. quan-  
do Ecclesia premitur oneribus non necessariis & sub jugum ser-  
vitutis redigitur, cum recte facit si magisterium hominum excuti-  
at, & in libertatem suam, in quam à Christo asserta, sese vindicet.

## XLV.

Ruunt proinde maxima pars cultus Pontificij ut Missa, con-  
firmatio, unctio, indulgentia & tota theatrica pompa circum-  
gestationis & adorationis Idoli Massim, quoniam vel subvertunt  
fidem, vel Idolatrias confirmant, vel opinione necessitatis &  
meriti suscipiuntur, cum sint vanitatum vanissima. Christus u.  
Servator noster qui Ecclesiam vindicavit in libertatem, ean-  
dem etiam porro in vera fide & cultibus sibi placentibus Spiritu  
S. suo conservet, & jugum humanum à cervicibus suarum  
ovicularum deijciat & confringat: jugum Christi  
suave & onus eius leve est,

Amen,



99 A 6902



PA>OC

Retro

VDTA





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

